

fit eadem arte & Menelaus, pulso Jafone. Tandem Lyfimachus sacra Templi Aeria diripiens, lapidibus confectus est. Viris illis perniciosus, excidio Republicae natis, authoribus foedus cum externis populis junctum est, in vecte Jerusalem Graecorum ceremoniae; ex quo factum, ut Judaei quamplurimi ab avitis ritibus & religione deficerent, in ultimum ferè malorum gentem suam adduceres, quemadmodum fuisse relatum est 2. Macch. 4. 1. 2. 3. 5. 7. 23. 33.

Antiochus Epiphanes, omnium, qui Judaeos affixerint post captivitatem, longè iniquissimus, Regnum Syriae inivit anno 3828. post obitum Simonis II. 22. Hæc faciliè epocha scripti à Jesu filio Sirach Libri constituenda, unde etiam exordium ducit persequatio in Summum Sacerdotem Oniam ante ejus necem. Cum enim præ oculis haberet Author Judæos à religione deficientes, cum afflictas gentis suæ res cernebat, ac ferè se furoris impiissimorum. hominum victimam expertus esset; id esse futurorum malorum adhuc præludium censuit. Quare ultimum Patrie suæ excidium, & rerum sacrarum desolationem, quam imminetentem prævidebat, ducens preveniendam, in Aegyptum secessit, ubi postremos vitæ suæ annos digerendo Operi impendit. Inde veluti à specula gentis suæ mala prospiciebat, quarum miseratione ductus, supplicationem illam suam in calce Operis descriptam, sicut & alteram capp. 35. & 36. supra à nobis relata, habuit.

Hanc, quam firmavimus, sententiam doctissimi quique nostræ ætatis Chronologi & Interpretes sequuntur (i). Huic etiam accensimus quicumque in ea sententia sunt, nempe Jesum filium Sirach elogium intexuisse Simonis II. non Simonis I. sive Just; quamquam de reliquo aliquid à nostro systemate alienum sustinent.

ARTICULUS IV.

De Versionibus Græcis & Latinis Ecclesiastici.

JESU Scriptoris ejusdem Operis nepos in Præfatione Libro præmissâ, satis aperte asserit, se Ecclesiasticum ex Hebræo in Græcum sub Ptolemao Evergete vertisse. In Aegyptum ille secessit anno 38. Ptolemæi VII. Evergetis ejusdem cognominis secundi. Hebraicum Exemplar, cujus ille versionem adornavit, scriptum facile erat Syriaco, Hebræis tum temporis vernaculo, sermone; quemadmodum & Syriacus erat Codex S. Hieronymo visus. Facile etiam S. Doctor non aliud vidit Opus, quam alphabeticum Ben-Sira, hodie usque Syriacè scriptum apud Hebræos servatum. Integrum enim Opus Hebraicum prorsus interit, & Textus Græcus, quem nos habemus, originalis habetur, vel saltem tanquam unica Versio ex originali adornata.

Porro is Græcus Interpres stilo utitur duro & implicato, eamque scribendi ra-

tionem sequitur, saporis Græcæ linguæ prorsus jejunam, & verbis originalis unicè inhaerentem. Hinc factum, ut salebræ quandoque in lectione Operis occurrentes, Lectorem morentur, syntaxis etiam peccet non rarè; uno verbo Hebraicis totus contextus scæter, & phrasibus barbaris, ac irregularibus.

Versionis Latine sive Author, sive tempus latent, sed vetustissimam esse constat & primis Ecclesiæ sæculis adornatam; quippe quod in veteribus Patribus uniformia factis testimonia laudentur. Superest nostræ ætate eadem, quæ olim obtinuit, non enim huic recensendæ laboravit S. Hieronymus. Additamenta quamplurima deprehenduntur, sive quod Interpres ad majorem Operis fidem plures ejusdem sententiæ versiones dare voluerit; sive non satis mentem Authoris exposuisse priori versione metuens, alteram addiderit; sive glossas quasdam, & expositiones subjicere iisdem sententiis voluit; sive tandem hæc alienâ manu in orâ exemplaris apposita, tandem injuriâ Amanuensium in Textum irrepere. Illud planè constat, additamenta hæc omnia, quæ magno numero spectantur, non nisi ferè repetitiones, sive expositiones referre sententiarum, sive quæ antea appositæ, sive quæ infra subjiciendæ.

Porro Versionis hujus Authorem confundendum facile credimus cum Interprete Libri Sapientiae; utrobique enim quædam recurrit voces huic Scriptori peculiare; ut honestare, pro locupletare; honestus pro divite; honestas pro divitiis; respectus pro à Deo expetita ultione; monstra pro miraculis; interrogatio pro poena. Eadem utrobique religio spectatur in vertendis singulis Originalis vocibus, sicut nec in Sapientia rara sunt additamenta quædam, ex ipso, uti quidem videtur, Versionis Authore derivata. Parem quoque ambo affectant sibi insuavitatem, & ambiguitatem, quamquam Sapientie præ Ecclesiastico felicior sit stilus, quod Græcum habeat elegantius.

Hæc autem additamenta, in Latina Versione frequentissima, à Græca usque aded aliena non sunt, quin aliqua in ea deprehendantur, quæ frustra in Latina queras, & à nobis suis locis Lectori observanda exhibita sunt. Variant etiam sæpissimè inter se Græca Exemplaria. Editio Romana Sixti V. purissima est omnium; Complutensis ad Vulgatæ fidem exactior. Variantia in Exemplaribus Græcis magno aded numero spectantur, ut omnia retulisse arduum nobis visum sit; quare præcipuis adnotatis, reliquis omisimus. Qui plenius eâ de re instrui cupit, adeat Notas Hæschelii, & Drusii, qui argumentum fusiùs prosequuntur. Nec prætereundum ducimus, in optimis Græcis Editionibus capitum ordinem inversum occurrere à versu 26. cap. 30. usque ad cap. 36. quæ de re consule Grotium (k). Olim varii in Græco tituli præfixi erant, varia ab Authore agitata argumenta distinguentes; è quibus plures adhuc spectantur in Editione Ro-

k Vide etiam nostrum Comment. ad finem cap. 30.

i Grot. Bossuet, Serar. in Macchab. Usser. Chronol. Raban. Hugo, Lyran. Dionys. hic. Et ex Antiquis Euseb. & Hieron. in Chron. Beda de sex ætatibus Mundi.

Romana; maximè post capp. 18. & 19. Dolemus autem, non omnes superesse, quod exactior servaretur ordo in capitibus disponendis, qui sanè capitum ordo contextui rectè non servit.

Gemina Præfationes toti Operi præponuntur; quarum altera in Latinis Exemplaribus Vulgatæ, & in Græco Editionis Romanae legitur. Canonicam obtinet auctoritatem Scriptoribus nonnullis (l), utpotè quæ pars sit Operis canonici; quamquam alium habeat ab Authore Libri Scriptorem, nempe Jesum Authoris nepotem, ejusdem Operis Interpretem. Alii tamen Divinam ab illo auctoritatem adjudicant (m), nec immeritò, cum Authorem habeat non Sacrum. Altera Præfatio in Græco Polyglottorum Antuerpiensium, & in Græcis Editionibus idem exemplar fecit legitur; deest tamen in Editione Romana, sicut & in vetustissimis, optimisque Exemplaribus. Scitum est, nullo penitus refragante, derivatam illam à Synopsi S. Athanasii nomine inscriptâ; quare neque canonica est, neque majorem vindicat auctoritatem, quam ipse Synopsis Author mereatur. Nos Gallicè translata dedimus cum notis. Ejus Author geminos Jesus filios Sirach agnoscit, Authorem nempe Operis, & Interpretem; quæ sanè sententia plures obtinuit patronos, maximè apud Græcos; sed Interpretem avo suo cognominem fuisse, nullo satis firmo documento docemur; quin nec satis de nomine Jesu constat, cujus tota fides ex Græcis monumentis, & traditione repetitur. Utraque hæc Præfatio deest in Versionibus Syriacis, & Arabicis.

ARTICULUS V.

De auctoritate Ecclesiastici.

DESIDERARI Opus illud in Canone Hebræorum constat inter omnes; & cum aliqui ejus sententias non rarè laudare Hebræi deprehendantur, ejus tamen auctoritatem longè habent à Divina. Veteres Ecclesiæ Patres, qui scriptum Librorum Sacrorum Catalogum posteritati tradiderunt (n), cum intra fines tantum Judaici canonis sese continerint, volentes eos tantum exhibere Libros, qui nullâ controversiâ apud Judæos æquè, ac Christianos recipiebantur, Ecclesiasticum excluderunt. Apertius aliquid de eodem Libro asserit S. Hieronymus Præf. in Lib. Salom. legi nempe in Ecclesia; ad adificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum, confirmandam. Hunc Librum, quemadmodum & alterum Sapientie appellat Veteres Libros contextatos, sive Libros Ecclesiasticos: Non canonici, sed Ecclesiastici à Majoribus appellati sunt, ait Rufinus in exposit. Symb.

Hodie tamen receptum in Ecclesia Catholica dogma tenet, hunc Librum parem habere auctoritatem cum cæteris in Canone Judæorum receptis Scripturis. Nullo etiam negotio demonstraretur è testimoniis Patrum omnium sæculorum, sicut &

omnium Ecclesiarum traditione, scriptum illud semper canonicam obtinuisse apud Ecclesiasticos Scriptores auctoritatem. Quin & Patres ipsi, quos tanquam ejus auctoritati iniquiores supra laudavimus, testimonia ex eo deducunt, tanquam è Sacra Scripturâ petita. Hæc observare licet apud Origenem (o), in S. Athanasio de Virginibus ex Eccli. 13. 1. in S. Cyrillo Jerosolymitano Cathed. 6. ex Eccli. 3. 13. 22. in S. Gregorio Nazianzeno contra Julian. Orat. 1. ex Eccli. 3. 11. in S. Hieronymo in Ep. ad Julian. cujus hæc sunt verba: Divina Scriptura loquitur: Musica in luctu intempestiva narratio. Idem est apud S. Epiphanium Ancorat. c. 12. ex Eccli. 3. 22. 23. in S. Damasceno Orat. 1. de Dormit. Deiparæ ex Eccli. 11. 30. in S. Hilario in Ph. 146. ex Eccli. 28. 28. 29. aliisque.

Spektatur traditio Græcæ Ecclesiæ in testimonio S. Clementis Alexandrini Strom. 1. 1. c. 8. & 1. 7. Eusebii Cæsariensis Præp. 1. 8. c. 8. S. Isidori Pelusiota Ep. 106. ex Eccli. 25. 12. S. Basilii Magni in cap. 8. Itaq; & Regulis brevior, q. 104. S. Gregor. Nysseni hom. 3. in Eccl. S. Cyrilli Alexandrini Orat. Ephesi habitâ, antequam à Comite comprehenderetur; S. Joannis Chrysostomi hom. 13. ad populum (p); S. Ephrem adversus improbas mulieres, S. Anastasii Antiocheni in Hexaemer. 1. 9. ut cæteros jam laudatos omittam.

Ecclesiæ Latine Occidentalis testimonia frequentia sunt, & perspicua. De sententia Ecclesiæ Africane nihil est quod ambigamus, post expressam luculenter fidem suam in Conc. III. Carthaginensi can. 47. ubi in Canone Scripturarum quinque Salomonis Libri recensentur, videlicet Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, & Ecclesiasticus. Tertullianus (q), & S. Cyprianus [r] frequentes sunt in testimonio ex eo petendis; & quod maximè animadvertendum est, idem S. Cyprianus cæterique in Concilio coacti pro controversia de Baptismo Hæreticorum dirimendâ, opinionis suæ patrocinium potissimum quærebant ex illo Eccli. 34. 30. Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus? Hoc planè testimonium, nisi ex Opere canonico petitur, facile planè eludere potuissent sententiæ contrariæ patroni; quod tamen ab illis nunquam factum scimus. Quin & S. Augustinus de Baptismo l. 6. c. 34. sedulè omnia S. Cypriani cæterorumque argumenta solvens, non minor curâ testimonium illud exponendum assumit.

Cum maximè serverent de gratia disputationes sub S. Augustino, Vir ille sanctus ex eodem Libro, non secus ac ex aliis Sacre Scripturæ, testimonia pro libero arbitrio adstruendo promebat (s). Paria observabat S. Prosper ejus discipulus in Gallia, dum stilum adversus Cassianum acuerat (t). Idem præstitit Cassianus ipse (u), S. Fulgentius de Remis, peccat. 1. 1. c. 12. Optatus contra Parmenianum 1. 3. ex Eccli. 3. 33. & 29. 15. S. Ambrosius de bono mortis c. 8. & 1. 4. de Fide c. 4. S. Paulinus, seu alius Epi. ad Celantiam, S. Leo Ma-

o In Ezech. hom. 11. Quid enim ait Scriptura? quid superbis terra, & cinis, & in vita ejus projecit intervanca ejus. Ex Eccli. 10. 9. 10. Vide & contra Cels. l. 6.

p Vide & Hom. 15. ad eundem populum.

q De Exhort. castit. c. 12. ex Eccli. 15. 18. r Ep. 65. & de Opere, & Eleemos.

s De grat. & lib. arbitr. l. 2. c. 11. ex Eccli. 15. 1. & alibi sæpiùs. t Contra Collat. n. 40. & alibi sæpiùs. u Collat. 13. c. 12. Collat. 6. c. 16. Collat. 2. c. 13.

l Vide Grot. Defens. Bell. t. 1. l. 1. c. 14. pag. 268.

m Cornel. à Lapid. ad caput Prologi, Jansen. alii.

n Melit. Ep. ad Onesim. Origen. Exposit. 1. Psal. Alban. Ep. festal. Author Synopsis sub ejus nomine, Nazian. carm. ad Seleuc. Cyril. Jerosol. Epiph. de pond. & mens. Damasc. de Fide Orihod. 1. 4. Conc. Laodic. cap. ult. Hilari. Præf. in Ps. Rufin. Exposit. Symbol.

Magnus ferm. 9. ex Eccli. 18. 30. Julianus Pomerius de vita Contemplativa l. 1. c. 8. Salvianus ad Ecclesiam Cathol. l. 3. alique plures de autoritate hujus Libri ne ambigentes quidem.

Accedit consensus Ecclesiarum Gallia, & Germania in Concilio Francfordiensi cocuntium (\*), Hispaniarum in Concilio Toletano VIII. can. 9. ex Eccli. 29. 1. Orientium in Concilio Ephesino ad. 7. in Ep. Synod. ad Synod. Pamphilia; quae omnes veluti canonicum Opus, ac paris cum reliquis Scripturis autoritatis laudant. Tandem Concilium Tridentinum Sess. 4. in Canonem Scripturarum hunc Librum adlegit, omni perplexitate submotâ, quae animos quorundam è nonnullis Veterum testimonii detinebat.

# DISSERTATIO DE FUNERIBUS ET SEPULTURIS Hebraeorum.

**Q**uicumque politiores gentes nihil unquam habuerunt antiquius, quam ut mortuorum sepulturas curarent. Hanc tantum curam solae mortalium gentes quaedam barbarae, uti Scythae, Thraeces & Hircani, unâ cum humanitate ipsa exuerunt. Ceterum Hebraeis adeo res cordi fuit, ut nullis per Orbem populis neque Aegyptiis, omnium superstitionissimis, concederent. Ad id officii tum plura utrosque illos populos impellebant, cum illud potissimum, quod de anima immortalitate recta sentirent (a). Animas, ait Tacitus Annal. c. 5. de Judaeis, praelio aut suppliciiis peremptorum aeternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Condendo in tumulum corpori Saræ uxoris suæ Abraham duplicem speluncam, ut sibi etiam suisque locus maneret, soluto pretio emit. Fratres suos Josephi obtestabatur, ut ex Aegypto secedentes, unâ secum in Terram Promissionis cineres suos deferrent (b). Amplissimorum virorum, & illustrium foeminarum sepulchra sedulo in S. Scriptura notantur; in qua pariter ultimi supplicii loco privandi impii honore sepulchri denunciantur (c). Mortuorum luctus & sepulturam curare, sicut & dapes ad tumulos asserre, potissima erat piorum hominum occupatio (d).

a Herod. de Aegyptiis l. 2. c. 123.

b Gen. 23. 4. de Abraham, & Gen. 50. 24. de Joseph.

c Eccli. 6. 3. Jerem. 8. 2. & 22. 14. & 2. Mac. 5. 10. & 9. 4. d Tob. 1. 20. & 2. 10. & 6. 18. e Num. 19. 14.

Vix animam efflaverat quisquam, statim res omnes & utensilia ejus cubiculi labem quandam contrahebant, non nisi post septem dies eluendam (e). Idem & cum iis servatum, qui cadaver, vel sepulchrum, sive ossa aliqua defuncti contigissent. Hic autem expiationis ritus. Assumptum aliquid cineris vaccæ rufæ die expiationis solemnissimè à Summo Sacerdote immolatur, in vas aquâ plenum injiciebatur. Hac deinde aquâ intincto hyssopo à viro mundo aspergebantur cubiculum, utensilia, & quicquid aliud maculam contraxisset. Stare erant huic caeremoniæ dies tertia & septima; cujus postremæ diei expiatione peractâ, balneo omnia elueban-

talium in Concilio Ephesino ad. 7. in Ep. Synod. ad Synod. Pamphilia; quae omnes veluti canonicum Opus, ac paris cum reliquis Scripturis autoritatis laudant. Tandem Concilium Tridentinum Sess. 4. in Canonem Scripturarum hunc Librum adlegit, omni perplexitate submotâ, quae animos quorundam è nonnullis Veterum testimonii detinebat.

tur, quâ vir pollutus, quâ ejus vestes; post hæc pura omnia. Ex Rabbiorum doctrina labes de mortuo tunc demum contrahebatur, cum defunctus ex Judæis esset (f); Pagani enim, inquit, superstites quidem, accedentes ad se omnes inquinant; post obitum puri ipsi nihil contingitibus labis inferunt; cum vicissim Israelitæ superstites odorem puritatis exhalent, quo per nares sanctitas insinuat; defunctorum verd cadavera, quod Spiritus Sancti unâ cum anima avolantis tubernio privata sint, non nisi corruptionem spirant & tabem. Sexcenta hujus faporis venditant de eodem argumento Judæorum Doctores, quæ frivola sunt maxime & inutilia; cum post Templi eversionem hæc caeremoniæ omnes apud Judæos obsoleverint (g).

f Vide Jo. Nicolai de Sepulchris Hebr. l. 3. c. 3. Basnag. Histor. Jud. l. 7. c. 25. Gal. l. 1. c. 24.

De funerum apparatu ritumque paucâ Scriptura, plurima Rabini (h). Graviter decumbens Israelita coram decem viris & Rabino ad id accitis crimina sua confitetur, cujus confessionis formula rudibus & indoctis alphabetico ordine digesta est, singulis alphabeti literis singula & frequentiora crimina continentibus. Doctores per se vitæ suæ crimina, non de scripto, recitant, eâ planè disciplinâ quæ apud nos servatur. Fidei quædam professio abegrotato exigitur; exquiriturque potissimum, num venturum Messiam expectet; tum æger Deum rogat, ut corporis & animæ sibi valetudinem restituat, quemadmodum olim Ezechia (i); postere autem se, addit, siquidem hora suprema jam venerit, ut crimina quæ toto vitæ decursu sive prudenti sive imprudenti obreperunt, morte ipsâ eluantur. Orationem demum claudens, concedi sibi postulat locum in Paradiso, & in sæculo futuro sedem, quæ Justis reservatur, sicut & tutum ad vitam æternam iter demonstrari. Post absolutam hujus precationis formulam, amici Synagogam petentes, pro ipso, sed alio obento nomine, Deum rogant, eo veluti indicio insinuantes, in alterum illum virum, priori vitâ reformatâ, transisse.

g Vide Leo. Moden. Cærem. Jud. p. 1. c. 8. h Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 35. & Leon. Moden. p. 5. c. 8. Basnag. Hist. Jud. 10. 5. l. 7. c. 24.

i 4. Reg. 22. 20.

Viris religionis sive literaturæ famâ insigni-

signibus supremum spiritum acturis affluere in religionis partem ducunt, sperantes inde sibi sanctitatis plurimam proveniaturum, juxta illud Ps. 48. 11. Non videbit interitum, cum viderit Sapientes morientes. Nihil hic detortam explicationem moramur, contenti Judæorum ritus exponere. Sunt qui morientes osculantur, quasi ultimos halitus excepturi; quod è veteri more petiitum esse intelligimus ex Philone Jacob inducente, in argumentam luctus pro inopinato de Josephi obitu nuncio, id sibi in memoriam revocantem, nempe nec decedentis oculos clausisse se, nec suprema dedisse oscula (k). Sunt qui in hunc sensum exponant illud Deuter. 34. 5. Mortuus est Moyses jubente Domino, vel juxta Hebræum, Juxta os Domini, nempe in osculo Domini: ita, inquam, exponant, quasi Deus supremo hoc humanitatis officio dignari amicum & in osculo ejus animam excipere voluerit. Joseph defuncto jam patri supremum osculum impressit (l). Nihil eo more apud Paganos familiarius; supremum decedentium spiritum osculo legebant; supremosque excipiebant spiritus in signum amoris & charitatis (m).

k Philo de Joseph.

l Gen. 50. 1.

m Statius.

Harentemque animam non tristis in ora maris transulit.

Eadem mortuos osculandi caeremonia olim ad Christianos, ne Sacerdotibus quidem, exceptis, derivata (n); quod deinde Concilii Antiochenensis can. 12. sanctione vetitum est. Eredientem jam animam adstantes scissione vestium prosequuntur, quæ olim sinceræ doloris significatio, hodie vero mera est caeremonia, cum & pretiosioribus vestibus sedulo parcere curent, & imum vestium limbum ad latitudinem circiter palmæ scindant. Ex Rabbiorum verd doctrinâ scissionem illam in obitu extranei post 30. dies facere licet; in obitu consanguinei proximioris nunquam licet. E veteri consuetudine receptum tenent, omnem, quæ forte in domo fuerit, aquam, in vicinia effandi, sive eam significationem intimi doloris exhibentes, sive eo indicio de obitu alicujus datâ, vicinos ad lacrymas provocaturi. Rabini tamen docent (o), contractum ab ea aqua virus, quod Angeli interfectoris gladium eluerit; hinc, ne cui noceat, projicitur. De Angelo mortis sermo est in Græco Job cap. 20. 15. & 23. 23. 24. & nos sustis agemus in Dissertatione de eade exercitûs Senacherib.

n Dionys. Arcop. Hierarch. Eccles. c. 7.

o Buxtorf. Synag. Jud. c. 35.

His peractis, solum panno infernuntur, depositique super illud cadaveris os sudario obducitur; neque enim defuncti vultum aspicere fas est. Causam addunt hujus caeremoniæ, ne scilicet longioris inedia, & durioris vitæ malis extenuata egenorum facies ob adstantes magis confundatur. Dein pollex manus interius replicatur, quem situm cum rigentes digiti agere patiantur, filaminibus quibusdam è flocco Taled ejusdem defuncti continentur; sic autem coactus pollex figuram aliquam nominis Sacerdotis Calmet. Tom. I.

dai reddit. Reliqui digiti, præter pollicem, manent extenti rigentesque, quod scilicet, inquit Rabini, documento sint, homines, cum satis cedunt, omnia simul deserere; cum vicissim infantes stricto pugno nascantur, ut eo naturæ magisterio discamus ingredi illos terram in possessionem divitiarum omnium à Deo immisos. Incenditur cereus, sive lucerna, & ad pedes, sive ad caput defuncti, quandiu in terra jacet, apponitur; neque enim idem est omnibus Hebræis in ea re usus. Ratio hujus caeremoniæ portentosa. In Collatione habita cum Judæis coram Pontifice anno 1412. accusantur, quod incendendum cereum illum crediderint, ut viam monstret animæ pristinum corporis domicilium queritanti; fiet enim facilius, ut lumini ductu rectâ ad illud ducantur (p), si alioqui dispositæ sint ad ejus ingressum. Reponebant tamen Judæi, eam à se calumniam amoventes; id enim fieri se dicebant, ut fortilegorum absurdas opiniones riderent, aut mantium ex incenso coram defuncto cereo separatam à corpore animam vehementer torqueri.

Secundum hæc, calenti aquâ, in qua herba odorata, & aromata, corpus abluitur, quæ sanè consuetudo apud Judæos vetustissima (q), Paganos ipsos non latuit. Ad foeminas plerumque munus illud demandatur, ad quas etiam spectat femoralia defunctis, & subaculam inducere (r). Sunt tamen qui viros viris lavandis, foeminas foeminis destinatas contendunt (s); sed priorem obtinuisse apud Judæos æquè ac Paganos consuetudinem, ex pluribus testimoniis convinci videmur. Socrates, antequam cicutam biberet, corpus suum lavit, ut scilicet ejus lavandi post obitum labore foeminas relevaret (t). Supra indusium vestis alia brevior carbassita additur, quali utebatur veste defunctus ille, dum viveret, die Expiationis solemnissimè; additur & Taled, quadratus nempe pannus cum anfulis ad latera; ac tandem album quoddam capitis ornamentum. Tum feretro imponitur, cujus imus fundus linteo obducitur; addito etiam & altero linteo, quo totum corpus tegitur. Addunt nonnulli, comam defunctis abscindi solitam, antequam tumulo inferrentur [u].

De feretris, ornamentisque eorum, qui funus comitantur, non una est ratio. Si vir literatus obierit, Libris ornatur feretrum; si amplissimus aliquis vir, feretrum alicubi acutam exhibet formam. Interdum pullum aliquod stratum totum funus tegit. Tradunt veteri olim consuetudine servatum, ut defunctorum corpora pretiosissimis, & ornatissimis vestibus induerentur, cujus pompa dispendio cum indigentes non sufficerent, solum vertere cogebantur (x). Sed, addunt, Gamaliel Doctor perniciosam consuetudinem abrogavit, constituens, ut corpus non nisi lineo tegetetur; qui deinde mos adeo obtinuit, ut nec cum Regibus alia servaretur consuetudo; simplici enim obvoluti linteo tumulo inferebantur. Sed variant in ea re Scriptorum sententiæ; quæ prior proposita est, sanioem habet eorundem Scriptorum partem (y). Regum

p Salom. Ben Virge Schebet Juda c. 292. Hac accusatio frequens legitur apud Arabos, & Turca, auctoritate Pokokio, in ea sunt sententia, ut anima toto septimana spatio circum tumulum erraret. Not. Miscel. p. 250. q Act. 9. 37. r Leo Mode. Basnag. in loc. cit. s Baron. a. 34. ex Rab. Jacob, & Maimonid. t Plat. in Phædr. p. 113.

u Mos. Aegypt. Halac. Ebel, c. 4. & Gejer de Luctu c. 5.

x Vid. Jo. Nicolai de Sepulchris Hebr. l. 4. c. 10. y Menoch. l. 3. de Repub. Hebr. c. 5. 4. 3. Schikard. in Jure Reg. p. 417.